



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

696. An procurator censeatur revocatus, dum Principalis privatur beneficio, ad quod resignandum datus procurator, vel dum transfertur ab Episcopatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

signum, aut manus adest à tergo supplicationis, probari porrectionem supplicationis per duos testes, vel per unum idoneum concurrentibus aliis, ut Paris. n. 36. sic resolutum à Rota inquitens. Quod, si etiam Procurator non in vim mandati, sed vigore literarum vivente Principali, porrexit supplicationem, non poterit post mortem illius præstare consensum; si enim vivente Principali Notarii Camera & Cancellariæ non extendunt consensum vi literarum, multò minus id facient, mortuo illo. Paris. n. 37. Azor loc. cit. Quin &, si Procurator vivente Principali porrexit supplicam vigore mandati, non potest præstare consensum elapso post obitum Principalis anno. Azor loc. cit. Paris. n. 39. juxta Bullam, ut ait, Alexandri VI. & communem praxin.

Questio 694. An Procurator constitutus ad resignandum conditionatè, nimirum sub pensione, vel regressu reservato constituti, qui ad hoc, vivente Principali, jam porrexit supplicationem, possit dein eo mortuo præstare consensum; ratione dubitandi inde ortà, quòd cui reservanda pensio, vel regressus, jam sit mortuus?

Respondent affirmativè Azor cit. q. 13. in fine. Paris. cit. q. 24. n. 41. sic resolutum dicens à Rota contra alios ab eo non nominatos. Rationem etiam dat hanc, n. 42. quòd, ex quo Procuratoris utriusque, nempe resignantis & resignarii, porrexit supplicationem, eamque expediri fecerit, videatur resignatio facta, & reservatio pensionis & regressus impleta, unde Data consensùs postmodum præstiti non attendatur, utpote qui secundum regulas Cancellariæ tantum necessarius est pro expeditione literarum.

Questio 695. An censetur revocatus Procurator per hoc, quòd Principalis factus est furiosus?

Respondeo affirmativè, juxta limitationem mox subjungendam, quia furiosus habetur pro mortuo. l. 1. §. sed furiosus, ff. de acquir. possess. Card. Paris. conf. 99. n. 15. & DD. communiter per Mascard. de probat. concl. 828. n. 23. ergo sicut per supervenientiam mortis, ita etiam per supervenientiam furoris revocatur Procurator. Ad hæc, resignare est donare, furiosus autem non potest donare. Verùm hæc intelligenda, re adhuc integrâ; si enim Procurator constitutus à Principali sanæ mentis porrexit jam supplicationem, quæ fuit signata & datata, per supervenientiam furoris non censetur revocatus, adeoque potest ulterius procedere ad præstandum nimirum consensum formalem. Secus est, seu censetur revocatus Procurator, si nihil adhuc facere inceperat. Paris. l. 9. q. 29. n. 7.

Questio 696. An Procurator censetur revocatus, seu cesset mandatum, dum Principalis privatur beneficio, ad quod resignandum datus Procurator, vel dum transferitur ab Episcopatu?

Resp. ad primum affirmativè; quia privatus, quoad illud beneficium dicitur mortuus civiliter; mors autem civilis quoad hunc effectum

æquiparatur naturali. Paris. l. 9. q. 32. n. 1. & 2. citans Card. Paris. conf. 5. n. 44. vol. 4. Rebuff. conf. 93. n. 14. An autem, si dicta privatio contingat, postquam jam Procurator porrexit supplicationem, eaque signata & datata, possit progredi ulterius, & consensum magnum, seu formalem præstare, dubitatur. Si in omnibus quoad hoc punctum mors civilis hæc æquiparetur naturali, poterit progredi, sicut morte naturali contingente post porrectionem supplicæ. Verùm contrarium indicare videtur Paris. loc. cit. n. 4. hisce verbis: Per privationem Procurator impeditur procedere ulterius (ubi nota, terminum ulterius, qui denotat, jam coepisse agere Procuratorem) cum mutata sit conditio resignantis, & ex defectu potestatis.

2. Respondeo ad secundum; Idem dicendum de translatione, quòd per eam Procurator revocatur sicut per privationem; cum dispositio Clem. ult. de procurat. locum etiam habeat in translatione. Paris. loc. cit. n. 5. citans Rotæ decis. 28. de procurat. in novis.

Questio 697. An Procurator constitutus ad resignandum possit revocari à Principali?

Respondeo primò: Potest is à constituto revocari, juxta Clem. unic. de Renui. Castrop. cit. §. 4. n. 10. Azor. cit. q. 22. q. 14. Paris. l. 9. q. 25. n. 1. citans Rebuff. in pr. tit. de revoc. Procurat. ac dicens, tritam esse & receptam regulam, tam in jure, quam in praxi; potest enim quis poenitere non solum in renunciacione, quam per se fecit, sed & in illa, quam fecit per Procuratorem. Paris. loc. cit.

2. Respondeo secundò: Etiam Procurator constitutus ad resignandum cum juramento de non revocando, potest revocari. Tond. qq. benef. p. 1. c. 26. n. 2. (qui etiam n. 3. & 4. subjungit, quòd si tamen instrumentum juratum contineret expressam promissionem de non revocando, revocari non possit Procurator sic constitutus, nisi novâ superveniente causâ, ut Boerius decis. 207. n. 2. Sed hoc locum non habet in constitutione Procuratoris ad resignandum; nam si statim constituentem poeniteat, non valet resignatio per Procuratorem) Paris. l. 9. q. 31. n. 18. citans ibid. pro hac sententia n. 1. Gemin. in c. ult. §. ult. n. 5. de rescrip. Mohed. Federic. de Senis, Selv. & c. contra Felin. in c. ex parte Decani. de rescrip. n. 13. Sam. de annal. q. 40. in principio. Rebuff. conf. 93. n. 34. quos citat Paris. n. 6. ac dicens cit. n. 18. ab hac sua responsione tanquam communi non esse recedendum in judicando, & consulendo, & ita videri se, practicari non solum in hac materia beneficii, sed etiam in quacunque materia, ut Procurator datus cum juramento de non revocando possit revocari, pro quo præter citatos à se supra citat insuper Card. Paris. conf. 8. vol. 4. col. ult. Socin. juv. conf. 44. n. 26. l. 2. Ruin. conf. 54. n. 12. & c.

3. Ampliat hoc ipsum Paris. n. 15. ut procedat non tantum quando Principalis juravit simpliciter non revocare, sed etiam dum promisit Resignatario cum juramento, se non revocaturum Procuratorem. Contra quod sentiunt Bald. in rubric. de Procurat. extra. col. 5. post principium, & alii quidam citati à Parisio.

4. Rationem responsionis hanc dat Paris. n. 12. & 24. quòd, dum actus, super quo juratur, aliàs illicitus est ex juris communis dispositione v. g. alie-